



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de reparatione lapsi. cap. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

Iohel. 1.

Nunquam igitur quiescamus, semper repugnemus, quā diu repugnamus, vincimus, quoties autem quiescimus, non quiescente aduersario superamur, irruentibus malis dissipantur bona, nihil quod homini illi relinquitur, qui carnis cupiditatibus vltro se subiicit, euenitque ei quod dictum est per prophetam. Residuum erucae comedit locusta, residuum locustae comedit brucus, residuum bruci comedit rubigo, aut quid boni in illo remanere poterit, cui vitia dominantur? Strenuus autem & accinctis, assidueque contra improbae voluptatis illecebras luctantibus tuta sunt omnia. Neque enim superseminatur zizania in medio tritici, nisi cum otio dediti dormimus, & a custodia bonae frugis cessamus. Atque ideo sane vigilare & orare nos iubet dominus, ne tentationibus succubamus, hoc est diligentes esse & intētos, & sollicitos, ne per desidiam spiritus caro, quae ancilla esse debet, dominari incipiat, & praeualere permittatur. Madian aduersus Israel, is videlicet qui se cultui dedicauit diuino, subuerti sinatur a nequitia.

De reparatione lapsi. Cap. XXI.

Eccl. 9.

Eph. 6

CAeterum si quādo victi superatiq; fuerimus, ad poenitentiae remedia conuertamur, nec desperemus aduersus victores victoriam, si ab iis quibus manum dedimus, deficere voluerimus atque ad illa transfugere, quae insipienter dereliquimus. Tunc enim speciosa deserti, quae peccatorum ignis absumpsit, rursus germinare & bonorum operum fructu abundare cernemus. Ciuitas a rege magno obsessa (vt Ecclesiastes ait) a paupere viro, sed sapiente liberata. Quis autem pauperior illo qui vitis seruit? quis sapientior quam qui ab iis dum licet fugit, & ad studium se confert virtutum? Sed ne rursus in eodem luto more porcorum relabamur, non otiose neque segniter est agendum. Nam sicut per negligentiam victi fuimus, ita per sedulitate curaque certandi vincemus. Cuius rei nequaquam ignarus Apostolus admōet & ait, State succincti lūbos in veritate, & induite lorica iustitiae, & calceati pedes in praeparatio.

nem euangelij pacis, in oibus sumentes scutum fidei, in
 q̄ possitis oīa tela maligni ignea extinguere, & galeam
 salutis assumite, & gladium spūs, q̄d est v̄bum dei p o-
 mnem orationem & obsecrationem, orantes omni tem-
 pore in spū, & in ipso vigilantes in omni instātia. Pro-
 fectio q̄ armis istis contra carnis infestationes dæmonū
 que dolos munitus fuerit, sicut mons Sion nō mouebit
 in æternum. Erit veluti turris fortitudinis a facie inti-
 mici, & tanq̄ nauis validis compacta trabibus, p̄trān-
 siens mare istud magnum & spatiosum, nec fluctibus
 fracta, nec pcellarum turbine subuersa. Si q̄n tñ ingra-
 uescere carnis pugna, spiritumq̄ vehementius lacessere
 cœperit, caro ipsa tenuanda erit ieiunio, fatiganda la-
 boribus, domanda vigiliis, oratio nunq̄ pernoctatio-
 nibus quasi vinculis constringenda. Durum erit illi cō-
 tra huiuscemodi stimulos calcitrare. Lasciuienti iumen-
 to adde onus, & quietius incedet, subtrahere aduersario
 vires, & desinet esse molestus. Semper aut̄ obstandū est
 principijs. Inueterata enim difficiliter corriguntur, no-
 uella euellunt facilius, euulsaq̄ arescunt. Præterea & lo-
 cum illum & hominem q̄tum potes declina, in q̄ vel de-
 linquendi periculum, vel exercendæ v̄tutis impedimē-
 tum times. O o fugite, inq̄t dñs, de terra aquilonis, de
 terra utiq̄ in qua charitas friget, & abūdat malitia, de
 terra in qua nihil agitur, nihil dicitur, nisi quod ad cor
 poris pertinet voluptatem, & præsentis luxuriæ irrita-
 mentum, & multorum scelerum incentiuum. Raro tibi
 cum seculi amatoribus miscendus est sermo, quia collo-
 quia mala corrumpunt bonos mores, rarius cum fœmī-
 nis. Primam fœminam decepit diabolus, illa virum. Dī-
 aboli ergo laqueus est fœmina. Quem diabolus per se
 non potest capere, per illam capit, fugiendo melius vi-
 tabis hoc periculum, quam resistendo.

Zach. 3

¶ Oratio contra tentationē carnis
 & post victoriā actio gratiarum.
 Cap. XXIII